



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

Prooemivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

S O C R A T I S
S C H O L A S T I C I H I -
S T O R I A E E C C L E -
S I A S T I C A E ,
L i b e r S e x t u s .

P R O O E M I V M .



Rouinciã Ecclesiasticã Historiã vsq; à temporibus Constantini , pro vniuersa parte accuratè conscribendã abs te nobis impositã, Theodore sanctissime , in quinque superioribus libris cumulatè expleuimus. Cãterũ hoc intelligas velim nos in sermone limatius perpoliẽdo nõ adeo elaborasse: quippe illud mente complectebamur, quod quamuis in verborum elegantia à nobis multum operã positum esset, fortasse tamẽ id quod animo institueramus, minimè fuisset consecuti. Quod si consecuti fuissetus, non tamen illud scribẽdi genus, à veteribus vsurpatum, quo quidem res pro arbitratu vel amplificare, vel diminuere existimantur, omnino consequi poteramus. Eodem accedit, quod talis oratio vulgo & imperitis hominibus, qui non verba concinnè & eleganter constructa collocatãq; admirari solent, sed rerum solum cognoscendarum auiditate ducuntur, nihil apportat commodi. Proinde ne opus à nobis susceptum vtrisque incommodum videretur, hoc est & peritis, quod cũ eleganti veterum scriptorum sermone nulla ex parte posset comparari, & imperitis, quod res nimis exquisito orationis artificio inuolutas peneq; obrutas animo assequi nõ queãt, eam scribendi rationem secuti sumus, quã quamuis demissior humiliorq; videatur, est tamen ad intelligendum multo facilior. Porro nobis in Sextum librum iam ingressuris, illud primum dicendum videtur, quod res nostra memoria gestas tractaturi, nõ nihil pertimescimus, ne ea scriptis prodere videamur, quã sint nonnullorum animos offensura:

vel

vel quia veritas, vti in prouerbio est, hominibus permolesta est, cum eorum nomina, quos diligunt, laude & prædicatione minimè efferamus, vel quia illorum res gestas magnis præconiis neuti quàm extollimus. Nam qui personas ecclesiasticas in summo habent honore, nobis crimini dabunt, quòd Episcopos non vocamus Deo Charissimos, aut sanctissimos, aut aliis id genus nominibus. Alij qui sunt paulò curiosiores, interdum vertent vitio, quòd Imperatores non diuinissimos, aut dominos, aut aliis titulis, quos homines illis tribuere solent, appellamus. Verùm quoniam veterum scriptorum testimoniis perspicuè probare, ostendereque possum, seruum in eorum libris dominum suum proprio nomine compellasse, ego quo rerum veritati, vti debeo, inferuiam, istos dignitatis titulos penitus contemnam: & legibus obsequens historiæ, quæ simplicem synceramque rerum gestarum narrationem, eamque omni fucò carentem postulant, deinceps ad ipsam historiam aggrediar: & ea scribam quæ partim ipse vidi, partim ab his qui illa còspexerunt, perdidici: quæ quidem vera esse inde exploratum habeo, quod qui eadem mihi narrabant, ipsi narrando minimè inter se discreparunt. Veritatem certè elicere erat mihi propterea valde laboriosum, quod tam multi homines, tamque varij res mihi significauerant: quorum alij ipsis rebus gestis interfuisse dicebant, alij easdem cognoscere, vel maximè quæsiuerant.

Quòd mortuo Theodosio Imperatore, cum liberi eius imperiũ partirentur, ac redeunti ab Italia paulo post exercitui Arcadius obuiam veniret, Rufinus præfectus ad pedes Imperatoris occisus est.

CAPVT I.

Theodosio Imperatore mortuo, Olybrio, & Probino Coss. ad decimũ sextũ Calend. Februarii, eius filij gubernacula Imperij Romani susceperunt. Atque Arcadius, partium ad Orientẽ sitarũ, Honorius autẽ earum, quæ spectant ad occidentẽ, principatũ obtinuit. Eisdẽ tẽporibus ecclesiæ quæ est Romæ, vrbis primariæ, præfuit Damasus: Alexádrinẽ Theophilus: Hierosolymitanæ Ioãnes: Flavianus Antiochenæ: Cõstantinopoli autẽ quæ est noua Roma,